

Recte dicitur in hominem impudenter furacem. Extat hodieque vulgo jactatum adagium : Lupus non veretur etiam numeratas oves devorare. Porro fures paulo timidiores consueverunt a rebus numeratis abstinere manum, metu videlicet, ne hoc indicio deprehendantur. Huic affinis jocus ille facetus in servum furacem, cui nihil erat domi neque clausum, neque obsignatum.

**1400. II, IV, 100. Ipsis placet**

Αὐτοῖς ἀρέσκει, id est Ipsis placet, ubi rem parum nobis probari aut causam nihil ad nos pertinere significamus. Terentius in Andria :

Mihi non fit verisimile. Atqui ipsis commentum placet.

10 Non admodum abludit ab illo : suum cuique pulchrum. Suis quisque consiliis suaeque sententiae blanditur. Huc pertinet illud apud Homerum frequens : Ἦνδανε θυμῷ, id est placuit animo. Item illud apud comicos : Sic lubitum est animo meo. Et apud Virgilium : Diis aliter visum. Plato libro De legibus tertio retulit hoc proverbium.

**1401. II, V, 1. Spartam nactus es, hanc orna**

Ἦν ἔλαχες, Σπάρταν κόσμει, id est Spartam, quam nactus es, orna (sive administra). Admonet adagium, ut quamcunque provinciam erimus forte nacti, ei nos accommodemus proque huius dignitate nos geramus. M. Tullius ad Atticum lib. quarto, epistola sexta : Reliquum est : Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει. Non me  
20 hercle possum. Et Philoxeno ignosco, qui reduci in carcerem maluit. Idem ad eundem libro primo : Eam causam, quam mihi dicis obtigisse Σπάρταν, non modo nunquam deseram, sed etiam si ab illa deserar, tamen in mea pristina sententia permanebo. Quod a Cicerone refertur, carmen est anapaesticum e tragoedia quapiam :

Spartam nactus es, hanc exorna.

Theocriti scholiastes indicat allusum ad hoc proverbium in Hodoeporis :

Αὐτόθι μοι ποτέρισδε καὶ αὐτόθι καὶ βουκολιάσδευ.

Τὰν σαυτοῦ πατέων ἔχε τὰς δρύας, id est

Mecum isthic certa, simul isthic pascito tauros

Et terram calcans propriam ne desere quercus.

Proverbium igitur ad varios usus licebit accommodare : Vel cum admonebimus, ut suam quisque personam, quam suscepit, cum decore tueatur. Episcopus es, ne satrapam agas, sed episcopum. Maritus es, cura, quae mariti sunt officia. Aulicus es, aulicum age. Iudex es, ne iam amicum aut inimicum, sed iudicem agas. Principatus tibi contigit, principis officio fungere. Privatus es, ut privatum te gere. Sic propemodum usus est Aristophanes, nam huic inscribitur comoedia, cui titulus

10 Θεσμοφοριάζουσαι :

Χρὴ γὰρ ποιητὴν ἄνδρα πρὸς τὰ δράματα

Ἄ δεῖ ποιεῖν πρὸς ταῦτα τοὺς τρόπους ἔχειν, id est

Decet poetam accommodari moribus

Utcunque ad argumenta, quae tractaverit.

Vel cum iubebimus unumquemque sua sorte contentum esse oportere, quaecunque contigit. Quemadmodum enim peritus gubernator in omni tempestate bonum praestat nauclerum, ita vir sapiens in omni fortuna sapienter se gerit. Est ampla res familiaris, sapienter administra. Non est, utere paupertatis commodis. Contigit eruditio, utere ad bene vivendum. Non contigit, ne macereris : sufficit pietas ad  
20 consequendam salutem. Plutarchus in commentario Περὶ τῆς εὐθυμίας admonens, ut suam quisque sortem boni consulat,

Σπάρτην, inquit, ἔλαχες, ταύτην κόσμει, id est

Sparta tibi obtigit, hanc exorna.

In eodem libello monet hoc dictum a Solone proditum. Citatur autem ex Euripide :

Σπάρτην ἔλαχες, κείνην κόσμει,

Τὰς δὲ Μυκήνας ἡμεῖς ἰδίᾳ, id est

Spartam nactus es, hancce governa,

Sors est proprie nostra Mycenae.

Videntur esse verba Agamemnonis ad Menelaum. Quod confine est illi Platónico : Τὸ παρὸν εὖ τίθεσθαι, id est Quod praesens est, bene dispone (sive boni consule). Nunc vulgus hominum magis incumbit augendae rei quam bene administrandae, contra quam recte monet Socrates in Theaeteto Platonis : Κρεῖττον γάρ που σμικρὸν εὖ ἢ πολὺ μὴ ἱκανῶς περᾶναι, id est Nam satius est pusillum bene quam multum non, ut oportet, peragere. Hanc igitur sententiam passim in principum aulis insculpi oportuit : Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει. Quorum vix ullum reperias, qui vere cogitet, quid sit principis agere personam, quive sua ditioe contentus non conetur aliquid imperii suis finibus addere. Principis munus est modis omnibus reipublicae

10 commodis providere, publicam tueri libertatem, alere pacem, excludere quam minimo suorum exitio maleficia, dare operam, ut sanctos et integros habeat magistratus. Cum igitur harum rerum securus ludit alea, saltat, scortatur, musicatur, venatur, negotiatur, berviter : alibi intentus est totus, tum occinendum est adagium : Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει. Rursum ubi neglecta, quae contigit, ditioe foris agit, alienis inhians imperiis, suos in summum adducit discrimen, suos exhaurit funditus, seque pariter et universam fortunam aleae belli subiicit, ut unum aut alterum oppidulum adiiciat suis finibus, tum suggerendum adagium : Spartam nactus es. Nihil principi pulchrius, quam ut hoc, quicquid est regni, quod fortuna dedit, sua sapientia, virtute, diligentia reddat ornatius. Contigit oppidulum, imitare

20 Epaminondam : fac ut frigidum illud oppidulum tua opera multo reddas celebrius ac locupletius. Contigit fera et intractabilis natio, da operam ut eam paulatim cicurem et legibus obtemperantem reddas. Contigit regnum parum splendidum, noli vexare finitimos, sed hoc, quod habes, citra alienum detrimentum exorna. Vix unquam feliciter cessit peregrinae ditioe affectatio. Quasdam nationes ingenium ac linguae sonus discrevit, ut Germanos et Hispanos ; quosdam ipsa natura diduxit ut insulares mari, Italos mari simul et Alpium molibus. Nonnullis casus suos terminos dedit. Si quisque, quod nactus sit, nitatur ornare, nimirum ubique florebut omnia. Et inter amicos, nempe Christianos, omnia erunt omnium communia. Nunc saepenumero fit,

ut dum aliena labefactare nitimur, nostra funditus subvertamus et, ut feliciter cedat res, tanto nostrorum civium sanguine, tantis sumptibus, tot periculis, tot sudoribus, tot orbitatibus, tot denique nunquam enumerandis malis emimus titulum nescio quem inanem et magni nominis fumum.

Xerxes, Cyrus, Alexander Magnus et vixissent diutius, et veriolem gloriam essent consecuti, si suas civitates recte administrare quam alienas armis vexare maluissent. Carolus Burgundionum dux, huius proavus, si vim ingenii, qua pollebat, si magnitudinem animi contulisset ad sua locupletanda potius quam ad expugnanda aliena, nec infelicem mortem oppetisset in bello, et inter laudatissimos principes  
10 haberi poterat. Magna pars nostra ditionis id temporis fatali quadam peste tenebatur, stultissima videlicet, sed omnium perniciosissima dissensione, omnibus in duas factiones divisus, quarum alteri nomen erat ab hamo, alteri a pisce asello. Pugnabat civitas cum civitate, vicus cum vico, domus cum domo. Saepe quos idem lectus iungebat, factio diversa segregabat et fratrem a fratre, ruptis naturae vinculis, distrahebat. Passim latroniciis, jurgiis, caedibus, rapinis fervebant omnia. Et interim bonus ille princeps, perinde quasi haec nihil ad rem pertinerent, procul aliorum oppugnabat moenia. Carolus Galliarum rex, huius nominis octavus, peragrata Italia reversus est ad suos, sed tanto suo suorumque malo ac periculo, ut poenituerit ejus felicitatis. Denique sunt qui affirmant eum ad senectutem pervenire potuisse, si  
20 Italiam Italis reliquisset.

Quid dicam de Philippo, huius Caroli patre? Adiiit Hispanias, non Martis aleam experturus, sed accersitus ad regni partem capessendam; pacata undique omnia. Et tamen hanc tam felicem peregrinationem quam flevit patria non ferendis exactionibus expilata! Ipse magno vitae periculo non semel laboravit. Franciscum Buslidium archiepiscopum Byzantinum amisit, virum modis omnibus incomparabilem. Sed tamen utcunque rediit, non licuit iis malis ita defungi. Denuo reliquit suos, saevissima jactatus tempestate delatus est in Angliam, tum temporis non admodum aequam nostratibus. Quid illic acciderit, quid passus fuerit, quid

pollicitus, quo pacto dimissus sit, non libet commemorare. Servivit necessitati, fateor et ignosco, sed quid erat necesse in eam venire necessitatem? Nec iis admonitus malis de repetenda patria cogitavit: Hispaniae revisendae erant, ubi periret juvenis ad res maximas natus, nisi ipse sibi suam invidisset felicitatem. Atque unius hominis mors simul et patriam optimo principe, et Maximilianum unico orbavit filio.

Quid dicam de Christianissimo Francorum rege Ludovico, ejus nominis duodecimo? Adortus est Venetos, id temporis, ut videbatur, inexpugnabiles, unico conflictu tot oppida restituit Romano pontifici Julio, tot imperatori Maximiliano, tot sibi recepit. Rediit rebus felicissime, sicuti videbatur, confectis. Verum quantum  
10 malorum pelagus hinc exundavit in Gallos! Qui suo sanguine tot insignes triumphos Julio pepererant, eiusdem opera majore sanguinis jactura ex Italiae finibus ejecti, parum hoc: et quo non tandem ignominiae stigmatem notati? Quod ni Julium mors interceptisset, vidissemus regnum illud totius orbis florentissimum funditus eversum. Quid autem de serenissimo Scotorum rege Jacobo commemorem? Is vir absolutam felicitatem absolutae laudi adjunxerat, si perpetuo suis se finibus continuisset. Erat ea corporis specie, ut vel procul regem posses agnoscere. Ingenii vis mira, incredibilis rerum omnium cognitio, invicta animi magnitudo, vere regia pectoris sublimitas, summa comitas, effusissima liberalitas. Denique nulla virtus erat, quae magnum  
20 deceret principem, in qua ille non sic excelleret, ut inimicorum quoque suffragio laudaretur. Contigerat uxor Margareta, serenissimi Anglorum regis Henrici octavi soror, ea forma, ea prudentia, ea in maritum charitate, ut non aliam a superis optare potuisset. Regnum Scotiae, quod multis et opibus, et celebritate incolarum, et splendore fertur cedere, sic suis virtutibus illustrarat, sic auxerat, sic ornarat, ut veram egregii principis laudem meruerit, si intra hoc gloriae suae stadium constitisset. Sed o nunquam felicem regno, raro principi, regis discessum! Dum nimium amico in Gallorum regem animo, quo Britanniae regem magnis rerum minis Gallias impetentem averteret et ad insulae suae defensionem revocaret, egressus regni sui fines Anglos bello lacessit, quid multis? Fortiter quidem, sed infeliciter



in aliis, ut ad litteras felix, ad bonos mores minus esset appositus. Verecundi mores erant, sic tamen, ut miram agnosceres prudentiam. Animus sublimis et a sordidis istis affectibus procul semotus, sed ita, ut nihil adesset ferocitatis, nihil fastidii. Nihil non sentiebat, permulta dissimulabat, nec unquam ad iracundiam poterat incitari : tanta erat naturae lenitas animique moderatio. Salibus impendio delectabatur, sed eruditis ac minime dentatis, hoc est non nigro Momi, sed candido Mercurii sale tinctis. Si quid turbae domi natum fuisset inter famulos, mirum quanta dexteritate quantoque candore solitus sit componere. Denique religionis erat et pietatis plurimum, superstitionis nihil. In summa nemo fuit dignior, qui ex rege, et ex illo  
10 rege nasceretur. Utinam autem in parentem pietas, quam fuit admirabilis, tam fuisset et felix. Comitatus est in bellum, ne usquam patri deesset. Quaeso, quid tibi cum Mavorte, omnium poeticorum deorum stupidissimo, qui Musis, imo qui Christo eras initiatus ? Quid isti formae, quid isti aetati, quid naturae tam miti, quid ingenio tam candido cum taratantaris, bombardis et ferro ? Denique quid erudito cum acie ? Quid episcopo cum armis ? Imposuit nimirum tibi immodica quaedam in parentem pietas dumque nimium fortiter amas patrem, infeliciter cum patre caesus occubuisti. Tot naturae dotes, tot virtutes, tot eximias spes unica pugnae procella absorbit. Perit et nostrarum rerum nonnihil : nempe quod in erudiendo te sumpsimus operae quodque mea partum industria mihi te vindico. At quantus felicitatis cumulus, nisi  
20 genius aliquis malus regem huc impulisset, ut regni sui limites egressus in alienis agris cum ferocissima gente Martem experiri vellet. Utinam, quod praeclare coeperat, perficere maluisset, hoc est Σπάρτην, ἣν ἔλαχε, κοσμεῖν.

Regibus proprius ac pulcherrimus laudum campus intra regni fines est. In apum gente caeterae quidem huc et illuc volatu divagantur, solus rex, ut aculeo caret, ita pro portione corporis alas habet multo minores, ut ad volatum parum sit idoneus. Veteres ita Venerem fingeant, ut pedibus testudinem premeret, id innuentes, matremfamilias ab aedibus nusquam oportere discedere, quippe cujus omne officium intra domesticos parietes contineatur. Atqui multo magis ad rem pertinebat

principem hoc admoneri symbolo, qui si quid peccat, non unius familiae, sed orbis totius malo peccat. An parum est domi negotiorum, ut foris sint accersenda ? Tanta est ubique scelerum sentina, tot sacrilegia, tot latrocinia, tot oppressiones, tot injuriae, tot contumeliae, tot magistratum corruptelae, tot leges aut a tyrannis institutae, aut in tyrannidis ministerium detortae, ut illa minutiora ne dicam : neglectas oppidorum vias, collabentes aedes sacras, incuratas fluminum ripas. His ita mederi, ut in remedium quam minimum de sanguine tuorum impendas, ut respublica beneficium sentiat, non sentiat impendium, an non egregium principis munus et immortalis laude dignum ? Quod si cupis omnino gloriae tuae pomeria  
10 ultra ditionis tuae fines extendere, fac, ut, qui finitimi sunt, magnitudinem tuam benefactis, non malefactis, experiantur. Exuris villas, proteris segetes, demoliris urbes, abigis pecora, trucidas homines atque ita denique te magnum declaras. Bellum certamen, si id cum latrone suscepisses ! Hesiodus scripsit malum vicinum magnam esse noxam, contra, bonum ingens esse commodum. Hoc in te probent finitimi tui : fac ita te mirentur magnum, ut ament benignum. Verum satis jam dolori nostro, satis datum discipuli memoriae. Superest, ut ad proverbiorum recensionem redeamus.

#### 1402. II, v, 2. Contigit et malis venatio

Δέδοται καὶ κακοῖσιν ἄγρᾳ, id est, Contigit et ignavis a venatu praeda, ubi quid feliciter obtigit immerenti quodque fortunae magis quam illius industriae sit  
20 acceptum ferendum. Allegoria sumpta a venatu, in quo vel praecipue dominatur fortuna, virtus minimum adfert momenti. At eruditio nemini contingit, nisi labore parta. Regnum obvenit dormientibus, opes affluunt cessantibus nonnunquam, honores accidunt etiam fugitantibus. Caeterum, quae vere bona sunt, nostra industria parentur oportet. Suspicio inde natum, quod olim mos fuerit, quod venatu captum esset, omnibus impartiri, etiam immerentibus. Ita Theocritus in Piscatoribus :

Ὡς καὶ τὰν ἄγρᾳ τῶν εἰράτα πάντα μερίζειν, id est

Sic uti venatum partiri insomnia cuncta.